

D. Gerhanli Titij Dogmatica.

INDEX Disput: D. Gerhardi Titij


- I. D. G. Titij theses Theol. Christianae fidei ^{dominam} breviter ^{complectens}
- II. De Insufficiencia Religionis merè naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem, et necessitate revelationum divinatorum supernaturalium contra Herbertum.
- III. De sufficiencia S. Scripturae seclusis traditionibus Pontificiorum.
- IV. De principio fidei Chr. Sacra Canonica Scriptura.
- V. De S. Scripturae ad militantis Ecclesiae plenam informationem apta perfectione, et traditionibus Pontificiorum.
- VI. De perspicuitate S. Scripturae, ejus interpretatione, et lectioe omnibus permittenda.
- VII. De verbi Divini *AVOENTIA* & Lunde
- III. De Sanctissimo Trinitatis mysterio.
- IX. Theopaschitarum haeresis, ejusq. Refutatio
- X. De Jesu Christi mundi Salvatore.
- XI. De Divinitate Christi contra Socinianos.
- XII. De Divinitate Christi Fausto Socino ejusq. a seclis op. posita.
- XIII. De merito Christi pro omnibus et singulis hominibus praestito adversus Calvinianos.
- XIV. De universali Redemptione omnium et singulorum hominum, facta per Christum de auctoritate
- XV. De homine ad imaginem Dei condito, ejus lapsu et conditione post lapsum.
- XVI. De Angelis.
- XVII. De meritis operum.
- XIII. An homo nondum renatus in actionibus merè spiritualibus polleat libero arbitrio.
- XIX. De Justificatione hominis peccatoris coram judicio Dei & Sebast. Nienau.

- XX. De gratuita Justificatione hominis peccatoris coram
iudice Dei.
- XX. De Fide Justificante
- XXI. De Auxiliis divinae gratiae tam ad conversionem
quam perseverantiam in fide et sanctitate necessariis
- XXII. De aeterna quorundam hominum electione ad vitam
aeternam, et reprobatione quorundam ab eadem.
- XXIII. De Pactis Levali et Evangelio quae Deus cum totoge-
nere humano in protoplastis inquit.
- XXIV. De Praedestinatione Credentium ad vitam aeternam
et reprobatione incredulorum.
- XXV. De Praedestinatione.
- XXVI. De ministris Ecclesiae.
- XXVII. De Magistratu et rebus civilibus.
- XXVIII. De Peccato eiusque differentiis atque causis.
- XXIX. De Peccatorum culpa et reatu.
- XXX. De errore Flacii circa peccatum originis.
- XXXI. De Ecclesia.
- XXXII. De Ecclesia & M. Hackemann
- XXXIII. De Poenitentia
- XXXIV. De Poenitentia & M. Moigt
- XXXV. De Poenitentia et Absolutione sacerdotali.
- XXXVI. Doctrina Sacramentorum N. T.
- XXXVII. De Sacramento Baptismi.
- XXXVIII. De sacro S. coena Domini
- XXXIX. D. Gerh. Titii Responsum Joh. Vorstij verborum Epistolae
cum continuatione responsi Joh. Vorstij poster. Epistolae
- XL. De Papistico missae sacrificio
- XLI. De Regimine sacro et civili disp. Theologico-
politico

- XLII. De Perseverantia Sanctorum contra Reformatos.
 XLIII. De quatuor novissimis.
 XLIV. De Morte et Christiana preparatione ad mortem.
 XLV. De statu animarum separatarum.
 XLVI. Vindicatio Augustanae Confessionis contra Bellarminum.
 XLVII. De Christiana morum doctrina.
 XLVIII. De Conciliis.
 XLIX. De miraculis.
 L. Pitzli Putzlii destructio fundamentorum etc.
 LI. In qua loca nonnulla Epitomes Theologiae D. Calixti proponuntur et declarantur.
 LII. Diss. Meth. de simplicibus Entis affectionibus, uno, vero, bono, huiusq; conato perfecto.
 LIII. Oratio de gravissimis corruptelis quibus in Occidente Ecclesia Christi, ultimis et sequioribus praesertim seculis est oppressa.
 LIV. Programma quo S.S. Th. Studiosi in Acad. Julia ad auscultationem Epistolae Paulinae ad Romanos invitantur.

7
o,
lis
7





DISPUTATIO THEOLOGICA
De quaestione illâ
AN HOMO NON-
DVM RENATVS IN ACTIO-
NIBVS MERE SPIRITVALIBVS
POLLEAT LIBERO AR-
BITRIO?

Q V A M
D. O. M. A.

PRÆSIDE
GERHARDO TITIO
S. THEOL. DOCT. ET PROF.
ORDINARIO

IN ACADEMIA IVLIA,


Ad diem Aprilis

Publico examini submittet

ALBERTVS PETRI

Susato - VVestphalus

Auctor & Resp.



HELMESTADI

Excudit Henningus Mullerus, Acad. Typog.

C I D I D C L I I .



INCLYTÆ CIVITATIS
SVSATENSIS

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS CON-
SULTISSIMIS PRVDENTISSIMISq̄
VIRIS AC DOMINIS

Qui pro tempore Reipublicæ ha-
benas ibidem moderantur, Dominis Patronis
& Promotoribus meis submisso animi
cultu observandis

*Cum debitâ reverentiâ & Veneratione Exer-
citium hoc Theologicum*

Dicat & inscribit

Albertus Petri
Auct. & Resp.





THESIS I.

Verissimè scripsit *Basilius* Epist. XL I. ad Maximum: *Qui ab uno erroris extremo nimium declinant, ad alterum haud minus incauti prolabantur.* Impletum hoc plus quàm satis in Pontificiis Adversariis nostris comperimur, qui licet divortium faciant à doctrinâ Pelagianorum & non omnimodò statuunt, hominem consideratum in statu post lapsum connatâ virtute liberi sui arbitrij seu ex propriis viribus naturalibus sibi relictis sine Spiritus S. interiore gratiâ articulis fidei Christianæ, & in specie divinis promissionibus de gratuitâ remissione peccatorum assensum præbere, in ijsque ut ad salutem oportet confidere, legem Dei perfectè implere & sic liberâ suâ obedientiâ vitam æternam promereri posse; nihilominus tamen dum hunc errorem repudiant, ad alterum haud minus incauti prolabantur. Contendunt namque ut scripta illorum passim ostendunt, hominem in rebus spiritualibus non prorsus ad omne opus bonum esse emortuum, sed tantùm ligatum & impeditum, adeò ut impedimento & vinculo per gratiam Dei remoto homo tùm ex proprijs suis viribus naturalibus prædicato Verbo Dei assentiri, gratiam in Evangelio oblatam acceptare & Spiritui S. cooperari possit.

II. Nos verò secuti vestigia Spiritus S. ab utraque parte discedimus & asserimus intellectum & voluntatem hominis corrupti in rebus merè spiritualibus & ad sui conversionem prorsus NIHIL ex sese conferre posse, sed o-

portere planè novam vim agendi à Spiritu S. per Verbum
in illis agente accipere & quasi vivificari à morte; atque
ad eam vivificationem sese planè passivè habere. Quod
jam statim pluribus demonstrabimus.

III. Priusquam verò hoc probatum damus, quæ-
dam prænotata, quæ ad faciliorem intelligentiam subse-
quentium facere videntur, ut præmittamus, ratio neces-
situdinis efflagitat, facile enim fieri potest, ut quorundam
terminorum ambiguitas & natura non probè observata &
docentem & discipulum in errorem inducat. Certis ita-
que cancellis Disputationem hanc concludere & tria cum
primis proponere atque pertractare animus est 1. *Termini-
norum enodationem* 2. *Objecti determinationem* 3. *Quæstionis
seu status formationem ejusq; assertionem & confirmationem.*

IV. Primum membrum quod spectat, duo termi-
ni in considerationem veniunt quos si probè cognoveri-
mus, tota res expeditu nobis facilior erit juxta illud Græ-
corum pronunciatum, *περὶ τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρώτον
ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα.* A voce itaque orfuri, notamus vo-
cem *liberi arbitrii* originem suam traxisse è Scholâ plato-
nicâ libertatem arbitrii in actionibus moralibus contra
Stoicorum fatalem necessitatem asserente, & homini in
statu innocentiae constituto verè ac propriè competere.
Resigitur ficta non est, sed in sacris quoque sua fundamen-
ta habet. Et licet vox *liberi arbitrii* quoad verba vel lati-
na vel græca in scripturâ conjunctim non reperiatur, neu-
tquam tamen ab ipsâ aliena est: nomen enim *arbitrii* le-
gitur Num. xxx, 14; quod describitur vocabulo eligendi
Deut. xxx, 19; hinc à Paulo vocatur *ἐξουσία περὶ τῶν ἰδίων θελή-
ματων* i Cor. vii, 37; Græci vocant *ἀντιξέσιον* quod idem
est, ac sui juris seu potestatis esse, quæ vox cum in hâc na-
turæ infirmitate nimis arrogans sit & humanis viribus plus
quam

quam par est ascribere videatur, iudicio saniorum Theologorum potius ab eâ abstinendum est.

V. Nec parum etiam luminis afferet huic nostræ Disputationi, si nempe consideremus, quid propriè dicatur liberum arbitrium seu libertas arbitrij. Notamus itaq; vocem libertatis seu liberi tripliciter accipi I. *liberum* datur à *subjectione* & hoc modo civitas dicitur libera, quæ nemini est subiecta II. datur *liberum* à *Coactione*, hoc modo dicitur liberum, quicquid per naturalem inclinationem agit & suæ actionis habet principium internum: omne igitur agens naturale, quatenus suæ actionis principium in se habet, liberum est, & licet ex naturali ejus impetu & necessariò agat, atque ita positis omnibus ad agendum requisitis non possit non agere, liberè tamen agit & non coactè, ita bruta, quando bibunt non coactè sed liberè bibunt. III. datur *libertas* à quâ demum verè & propriè agens liberum vocatur, quæ aliàs dicitur *libertas à necessitate*, quippe quod de se & intrinsecè ad neutram contradictionis partem sit determinata, & positis omnibus ad agendum requisitis possit agere & non agere. Et hoc modo *liberum* notat potestatem indifferentem ad utrumque oppositorum, seu ut alij loqui amant, prout est, ad utrumque vertibile, & hæc libertas propria est eorum, quæ cum ratione & ex *λογιστικῶς* agunt.

VI. Dum igitur formalis ratio hujus *libertatis à necessitate* consistit in indifferentiâ ad utramque contradictionis partem, hinc philosophi ejus duas quasi partes faciunt, quarum una dicitur *Libertas Exercitij*, seu *Contradictionis*, altera *Specificationis* seu *Contrarietatis*. Prior in hoc consistit ut positis omnibus ad agendum requisitis quis possit agere & non agere e. g. homo pro lubitu potest ambulare & non ambulare, sedere & non sedere: Posterior in

hoc; ut positis omnibus ad agendum requisitis possit contraria agere sicut pro lubitu quis potest externa conversionis media recipere, potest repudiare, potest res nonnullas, v. g. hunc aut illum ludum amare, potest odisse.

VII. Observationem quoque mereri videtur, quod libertas sit definienda formaliter in ordine ad potentiam; ut autem potentia aliqua formaliter sit & dicatur libera, nondum sufficit sanè, quod indeterminata sit ad actum exercendum & non exercendum vel etiam ad actus specie diversos, sed insuper requiritur interna quædam activa vis, quâ suam indifferentiam ad alterutram partem determinare possit, quæ vis cum locum non habeat nec etiam habere possit in potentiâ tum vegetativâ tum sensitivâ, superest ut asseramus in facultate animæ rationalis & quidem in ipsâ voluntate residere.

IIX. Quando itaque dicimus, *liberum arbitrium*, tum illud *liberum* sumitur in ordine ad voluntatem, iudicium intellectus determinatum ultrò vel sequentem vel repudiantem: Arbitrium verò vocatur in ordine ad rationem actibus voluntatis prælucentem. Benè *Augustinus* Tom. vi i. lib. 3. contra Pelagianos; *Sed cur ait, dicatur liberum arbitrium est paululum differendum. Arbitrium ab arbitrando, rationali consideratione; Vel discernendo quid eligat quidve recuset, puto quod nomen acceperit; vel ideò liberum arbitrium dictum, quod in suâ potestate positum sit, habens agendi, quod velit, possibilitatem, quod est vitalis & rationalis anima motus.* Nec aliter sentit *Lombardus* lib. 2. sentent. distinct. 24. *Liberum, inquit, dicitur, quantum ad voluntatem quoad utrumlibet flecti potest: Arbitrium verò, quantum ad rationem, cuius est facultas vel potentia, cuius etiam est discernere inter bonum & malum.*

IX. Ex hisce nunc constare arbitror, quod voluntas homi-

hominis citra specialem Spiritus S. gratiam sibi relicta, adhuc in ijs, quæ ad vitam hanc terrenam necessaria atque utilia sunt, vel ad externam tantum & civilem pertinent iustitiam, verè habeat aliquam libertatem seu liberum arbitrium, ut præter experientiam Ethnicorum dicta & facta id satis superque indicant. Sed quicquid sit, nos hæc Philosophis discutienda relinquimus, in præsentì verò materiâ ea nobis arridet acceptio, quâ per liberum arbitrium nihil aliud indigitatur, quàm *vis seu facultas* ad spirituales actiones inchoandas atque peragendas: & respectu harum actionum rectè pronunciamus homini nondum regenito nullum superesse liberum arbitrium.

X. Præmissâ jam terminorum evolutione, accedimus ad alterum membrum nempe ad *Objecti determinationem*, ubi se offerunt actiones humanæ, in quibus vel eliciendis vel suspendendis voluntas hominis occupatur. Actiones autem illæ varias admittunt differentias, vel enim distinguuntur *ratione qualitatum* & sic aliæ sunt *bonæ*, aliæ *mala* aliæ *indifferentes*. *Bonæ actiones* sunt honestè vivere neminem lædere, suum cuique tribuere. *Mala*, quæ in lege Dei sunt prohibita & proinde cum pietate & honestate pugnant. *Indifferentes* autem sunt & dicuntur illæ, quæ ex se & suâ naturâ neque bonæ neque malæ sunt, sed quicquid bonitatis & malitiæ in se habent, id ab extrinseco provenit. Vel distinguuntur *ratione diversorum principiorum* & sic aliæ sunt *naturales*, aliæ *morales*, aliæ *spirituales*.

XI. *Naturales* sunt illæ, quarum auctor homo est, ita, ut partim cum brutis animantibus illas communes habeat, quales sunt, quæ potentiam vegetativam, sensitivam & loco motivam respiciunt, ut *edere bibere, vigilare, dormire, stare sedere* & quæ sunt huius generis aliæ; partim sibi soli vendicet, ut *loqui, discurrere meditari, &c.* *Morales*

les sunt, quas ex lumine rectæ rationis per assuefactionem & disciplinam secundum virtutis habitum instituit. *Spirituales* seu *Ecclesiastica* rursus sunt in duplici differentiâ; aliæ sunt *externa*, quæ in sensus exteriores incurrunt, quales sunt *docere, audire Verbum Dei, uti ceremoniis Ecclesiasticis, &c.* aliæ sunt *interna* verè ac propriè spirituales, quorum autor solus est Spiritus S. ut, ad *Deum sese convertere, verbo Dei fiducialiter credere, oblatam gratiam acceptare facere opera bona Deo placentia*; quæ posteriores propriè cultum divinum & salutem animarum concernunt.

XII. Vt ergò propius ad rem accedamus, de prioribus nulla nobis lis & controversia, sicut & nec de duplicis generis posterioribus movetur, quia naturales Physicus sibi vendicat, morales ad Ethicum pertinent, solæ itaque spirituales & quidem internæ animarum nostrarum salutem concernentes hâc vice in considerationem vocandæ erunt.

XIII. Restat nunc ut tertium membrum Disputationis nostræ consideremus & inquiremus, quisnam sit *verus & genuinus status controversiæ* inter nos & Pontificios, quo demum rectè pensitato & exposito, ad institutum cuius gratiâ operam hanc pertractandam sumpsimus, pervenire animus efflagitat.

XIV. Non igitur quæritur inter nos & Pontificios
1. *Num homini nondum regenerato post lapsum in rebus rationi subjectis, utpote, Politicis Oeconomicis & Ecclesiasticis externis, reliquum adhuc sit liberum arbitrium?* Largiter hoc concedimus, ut supra jam tum, quantum satis erat, indicavimus. Nec 2. *Num in ipsâ conversione nulli omnino sine motu, ita ut neq; mens neq; cor de Deo quasdam cogitationes sentiat?* Non enim homo est instar lapidis, qui nec sensum nec motum habet. Docemus itaq; & confitemur etiam
in i-

in ipso actu conversionis bonos fieri motus, quos tamen ipse homo ex propriis viribus elicere non possit, sed in totum debeantur Spiritui Sancto, contritionem, fidem, aliosque spirituales motus excitanti & inchoanti, iisdemque cooperanti. Inde fit, ut scriptura de Spiritu S. pronunciet, quod ipse cor hominis *aperiat* & in peccatis *mortuum vivificet* Ephes. II. 3; *cor novum creet & lapideum auferat* Ps. LI. 9; Ezechiel: XXXIII. 26; &c. Nec 3. quæstio est, *num ita post lapsum liberum hominis arbitrium sit amissum ac sublatum, ut jam non amplius voluntariè sed coactè peccet?* Manichæi quidem olim teste *Augustino* lib. de fide contra Manichæos cap. 5. perhibebant, *animas hominum non peccare voluntariè sed coactas à contrariâ & inimicâ substantiâ.* Sed cum dudum hæresis isthæc extrâ Pomæria Ecclesiæ sit relegata, illam nunc non refricabimus. Nobis intereâ hoc certissimè constat, hominem Protoplastum propter suam inobedientiam sibi suisque posteris facultatem & libertatem ad bonum spirituale agnoscendum & amplectendum, quam antea habuit, amisisse, ad malum verò, proh dolor! retinuisse.

XV. Nec 4. in quæstionem veniunt, *tres status hominis, Perfectionis, renovationis, glorificationis.* Non *Perfectionis*; asserit enim scriptura hominem conditum fuisse ad imaginem Dei, quæ teste *Paulo* Ephes. IV. 24; consistebat in justitiâ & sanctitate: quinimò intellectum hominis perficiebat perfecta Dei notitia, summaque rerum omnium scientia, voluntas ejus suffulta erat viribus sufficientibus ita, ut Deum ex toto corde, ex totâ animâ, totisque viribus diligere, legemque Dei perfectè implere posset. Facile igitur creatori suo, si modò voluisset, obedire potuisset. Non *Renovationis*, ubi homini à peccato averso & ad Deum converso per Christum libertas in hæc inchoatè,

B

in al-

in alterâ vitâ consummatè restituitur, non de mûm *Glorificationis*, sicut enim ibi omnis abolebitur *avouia* ita rursus accedat omnis integritas, perfectio & conformitas.

XVI. Remotis igitur removendis unicè nobis quæstio est de *secundo hominis statu*, qui dicitur *Corruptionis*, ibique quæritur: *Numquid homo polleat adhuc eâ facultate & libertate arbitrii, ut, antequam regeneretur, propriis suis viribus sibi relictis articulis fidei purè & merè talibus assentiri, seque ad gratiam divinam acceptandam preparare atq; disponere, sibi eam in verbo oblatam & in merito & satisfactione Christi Mediatoris unicè fundatam firmiter & efficaci voluntate & fiducia appropriare possit?* Negativa nobis arridet; Patres Concilij Tridentini affirmativam ambabus (ut cum vulgo loquamur) manibus amplectuntur: Quod ipsum ne gratis dixisse videamur, ipsique de injuriâ sibi illatâ conqueri queant, propria illorum verba in medium adducemus.

XVII. Concilium Tridentinum sessione IV Can. III, c. 5. inter alia sic commentatur; *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium post Adami peccatum amissum aut extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, imò titulum, sine re figmentum deniq; invecum à Diabolo in Ecclesiam, anathema sit.* Cardinalis Bellarminus lib. III. de gratiâ cap. 15. pronunciare audeat, hominem ante omnem prævenientem interiorem gratiam non solùm habere liberum arbitrium ad opera quævis naturalia & moralia sed & ad opera pietatis & supernaturalia & lib. IX cap. 29; ita ait: *Absolutè potest homo, si velit, omnia mandata Dei, sicut oportet observare, quia potest exuere cor vetus & induere cor novum, si velit vocationi Dei acquiescere, seseq; ad Deum ex toto corde convertere, scriptum namq; est, facite vobis cor novum & Spiritum novum.* Solet interdum hanc suam sententiam similitudine quadam ab aviculâ funiculo alligatâ, desumptâ illustrare hoc fermè modo. *Quemadmodum avicula cavea inclusa aut funiculo*

constricta, potentiam quidem ac naturalem suam facultatem volandi retinet, quo minus verò potentiam illam naturalem in actum traducere possit, igitur causâ non est, natura impotentia, sed externum illud impedimentum, quo vis volandi inhibebatur; quod si verò hoc removetur, avicula liberè evolare potest, quando autem caeca aperitur, tùm non nova peculiaris quadam vis avicula conceditur, quasi volandi divitiis antea destituta fuerit, sed externum tantùm illud vinculum, quo actus volandi impediebatur, removetur. Ita & voluntas hominis, quæ est per peccatum quasi ligata. Lib. vi. cap. 15. hunc in modum discurret; per gratiam intus non immutatur, aut potentiam seu novam quandam vim accipit, sed tantùm expeditur solvitur & impedimentum externum removetur, ut ita potentia naturalis liberè in actus suos exeat.

XIIX. Manum quasi his præbet Costerus, qui in Enchrid. loc. de libero arbitrio cap. v. rem sese acu tetigisse existimans, inter alia utitur similitudine ab homine in foveam delapso deductâ, verba ejus hæc sunt: Sit quis in foveam tenebricosam delapsus, ex quâ neq; cogitet egredi, neq; solus exire possit, sed in eâ securus obdormiat & accedat ad eum amicus, qui misertus illius, de somno excitatum ad egressum moneat, multisq; rationibus persuadeat, ut assentiatur, tùm ei manum vel funem porrigat atq; ita simul conantem in lucem producit. Sicut igitur ibidem iste homo in educatione non patitur tantùm sed cooperatur, admonitionem fraternam non renuit, funem porrectum manus apprehendit, firmiter retinet & quantum in se est, pro viribus allaborat, donec extractus in terram, lumine Solis illustratur. Ita, ait, liberum arbitrium quod vitio suo sibi ingens malum contraxit, ut de tenebricosâ foveâ peccati extrahatur, non patitur tantùm, sed cooperatur gratia divina, preparat se credendo, fidendo, pietatis officia assumendo, donec ad solem justitiæ divina ascendens, divino lumine gratiæ magis repleatur.

XIX. Ex hisce datis & declaratis similitudinibus, quantum colligere possumus, apparet, Patres Concilij Tridentini summis viribus hoc laborasse, ut occultè statuerent, hominem nondum regeneratum *divina* ad tales actus spirituales edendos naturaliter quidem instructum esse, quo minùs verò liberè operari & talem *divinam* in actum traducere possit, obstare externum peccati vinculum, quo demum soluto, hominem per vires naturæ inditas, & post lapsum etiam adhuc superstites, firmiter verbo Dei assentire, ad gratiam divinam amplectendam disponere, eandemque apprehendere posse. His verò rectissimè Orthodoxi nostri Theologi, ductum sacræ scripturæ à quâ ne latum quidem unguem discedunt, secuti, sese opposuerunt, & quæstionem suprâ propositam strenuè negarunt, dicendo vires hominis naturales ad efficiendas actiones spirituales nullas prorsus superesse. Quam assertionem nos quoque spontaneo calculo comprobamus, eamque præeunte sacrâ scripturâ demonstrare, & duobus syllogismis, cujus utriusque tamen medius terminus aliquot membris constet, solidare conabimur.

XX. Primum itaque à parte intellectus sic argumentamur. *Cujus intellectus 1. miserè est corruptus 2. in divinis habet cæcum judicium & tenebris planè immersum 3. non est intelligens & requirens Deum 4. nec potest ea quæ sunt Spiritus Dei capere, & demum 5. Vix boni aliquid ex se tanquam ex se cogitare, ille ex propriis viribus naturalibus sibi à naturâ concessis & inditis articulis fidei Christianæ purè & merè talibus, cum primis promissionibus de remissione peccatorum per mortem & satisfactionem Christi nobis acquisitâ, firmum assensum, prout ad salutem necessarium est præbere non potest. Atqui hominis intellectus post lapsum, si sibi relinquatur citra specialia gratiæ divinæ auxilia est talis. Ergo. Major vix indiget probatione.*
Nam

Nam hæc est natura & conditio intellectus sibi relicti, ut tantummodò ea, quæ sibi naturaliter nota evidentiaque sunt, capiat & intelligat, iisque demum firmiter assentiat. Cum igitur articuli fidei longè superent capacitatem naturalem intellectus, nullo modo fieri poterit, ut illis citra specialem operationem Spiritus S. firmum & immotum præbeat assensum. Minorem quoad singula membra statim comprobabimus.

XXI. I. *Intellectus hominis miserè est corruptus.* Primus quidem homo tantâ claruit perfectione cognitionis, ut non tantùm omnium animalium naturas acie mentis suæ penetraret, sed etiam quod magis est, ipsum Deum insigniter cognosceret, voluntatemque ejus perfectè sciret, & si voluisset, secundum eam sese exactissimè conformare potuisset. Omnes enim facultates animæ quàm amicissimè inter se conspirabant & nulla alteri repugnabat. Sed disrupto jam hoc vinculo, hostile (proh dolor) exortum est dissidium; facultates inferiores jugum subjectionis excusserunt, & licet quidem intellectus & voluntas, appetitus potentiæque naturales, puta quoad essentiam, remanserint, adeò tamen sunt labefactatæ attritæ & debilitatæ ut nulla amplius fideliter officium suum exequi valeat. Intellectus profectò in cognoscendis rebus naturalibus ita corruptus est, ut vix quicquam suâ sagacitate excogitare & invenire possit, quod non umbram inscitiae secum trahat. Eò namque devenit ille, ut rerum quidditates ut plurimum, non per differentias específicas, seu, ut alij loquuntur, non à priori, sed potius per negationes aut affectiones ex eis fluentes, sive à posteriori concipere ac describere necessum habeat. Atque hanc mentis imbecillitatem non Christiani solùm philosophi, sed Ethnici quoq; agnoverunt. Hinc Scaliger, ille summus & penè

incomparabilis Exercit: 307. f. 22. Cum corticem lambat & ad interiora rerum penetrabilia vix descendat, recte scientia intellectus nostri dicitur umbra in sole juxta illud Philosophi lib. 11. Met. c. 1. ubi intellectus noster oculis Nyctioracis ad lumen solis comparatur.

XXII. II. In divinis gerit cæcum judicium & tenebris planè immersum. Prodeat hic Evangelista Iohannes, testis omni exceptione major; is cap. 1. 5. docet, lucem in tenebris lucere & à tenebris non comprehendi, indicans hoc ipso, hominis intellectum fulgore quidem divinæ lucis irradiari, ut nunquam planè illius saltem scintillâ destituatur, sed eâ tamen illuminatione Deum non comprehendere nec ad illius veram & salutarem cognitionem pervenire posse. Suffragatur huic D. Paulus Rom. 1. vers. 21; ita de irrogenitis locutus; evanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est cor insipiens eorum; & Ephes. iv. vers. 28. Tenebris obscuratum habent intellectum, ab alienatum à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Et adhuc hominis intellectus sibi relictus, in divinis gerens cæcum judicium, ex propriis suis viribus naturalibus articulis fidei purè & merè talibus, & promissionibus Dei gratuitis in Christo, firmiter possit assentiri? Negat hoc scriptura; quæ enim inquit est communio lucis ad tenebras II Cor. vi. vers. 14; In tenebris quæ dispositio ad lumen? tenebræ lumen non comprehenderunt, dicit Iohannes: Quid habes, ô Homo, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ait Paulus I Cor. iv. 7.

XXXIII. III. Non est intelligens & requirens Deum. Rom. III. 11 & 12. Omnes declinaverunt & inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum non est usq; ad unum. Si igitur inutiles & idonei sumus ad tales actus spirituales efficiendos, quomodo stabit liberum nostrum in iis arbitrium? Qui verum potest esse illud, quod Bellarminus ait lib. v. c. 14. & 19, posse

posse hominem sine fide & sine speciali auxilio Spiritus Sancti suis
viribus non tantum præceptum Dei servare, sed etiam plus facere,
bonum scilicet morale perficere, ut nullum in eo delictum committat?

XXIV. IV. Non potest ea, quæ sunt Spiritus S. capere & in-
telligere. Apostolus I Cor. II. 14. dicit; animale[m] hominẽ non
percipere ea, quæ sunt Spiritus S. sed stultitiam ipsi esse & non posse
comprehendere. Vbi notandum venit, per animale[m] homi-
nem hinc non intelligi Philosophum vel Laicum, ut in op-
positum per Spirituale[m] intelligatur clericus vel persona
quædam Ecclesiastica. Ex superbiâ enim hoc natum est, quod
hodie personæ Ecclesiasticæ præ aliis dicantur spirituales,
die Geistlichen cum multoties sint carnales & Veneris Bac-
chique amatores. Sicut ergo per spirituale[m] intelligendus
venit ille, qui se à Spiritu S. moveri duci & regi patitur; sic
ex opposito explicando terminum carnalis vel animalis il-
los dicimus animales, qui Spiritum S. non habent (vide
versum 19. Epist. Iudæ) nec se à Spiritu S. regi permittunt
sed carnalibus suis concupiscentiis indulgent. His con-
sentanea sunt ea, quæ habet Theophylactus in suo commen-
tario super hunc locum. Animalis est homo, ait, qui omnia a-
nima sua cogitationibus & rationibus tribuit, neque se indigere cen-
set sapientiâ, quæ desuper cordi nostro ex cælis illabitur, qui neque
quicquam accipere vult, sed omnia stultitiam arbitratur, quæ
demonstrationem non admittunt. Hinc Paulus Rom. VIII. 6. 7.
Prudentia carnis mors est, ait, Prudentia autem Spiritus pax &
vita, quoniam sapientia carnis inimicitia est in Deum, legi enim
Dei non subicitur nec enim potest. Anselmus scribit super
hunc locum ita: Prudentia carnis est, cor machinationibus tege-
re, sensum verbis clarè, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera
sunt, fallaciâ demonstrare, honorum calumniam querere, adeptâ
temporalis gloriæ vanitate gaudere.

XXV. Hæc & plura similia quamvis clara admodum
& per-

& perspicua sint, non tamen ab omnibus, sicuti sonant accipiuntur. Objiciunt enim nonnulli nobis hoc absurdum, hoc si verum sit, sequi ex ipso, hominem in ipso conversionis opere trunco esse deteriorem, quem tamen respectu ejus facultatis, quâ de rebus quibusdam nonnihil judicare & respectu alterius, quâ res externas sibi objectas eligere possit, omnium hominum judicio longissime superet. Respondemus nos ex solenni Logicorum maximâ. *Similia non latius extendenda sunt, quàm fert rei, de quâ agitur naturâ; & similia illustrant tantum, rem non probant.* Fuerunt viri docti & boni, qui hanc locutionem usurparunt, & dixerunt, hominem cum trunco, stipite vel trunco posse in conversione sui comparari, quod tamen non ita intellectum voluerunt, ac si ratione essentiæ essent eadem seu inter se prorsus convenirent; ultro namque ipsi & nos fatemur, hominem omnia animantia bruta, multò magis res planè inanimatas ratione & intelligentiâ suâ antecellere: Tantum itaque comparationem fecerunt in respectu ad operationem quam ad suam conversionem homo conferat, & hoc modo rectè pronunciarunt, truncum & stipitem, si Deus in illis supernaturaliter agere vellet, minus repugnaturum, quam hominem animale, propterea quod in truncum nulla talis contumacia, rebellio & repugnantia erga Deum cadat, qualis tamen malitia & pertinacia in hominem cadit. Vere igitur homo convertendus est subiectum mere passivum seu materia, in quam Spiritus S. operatur & agit, intellectum illuminando, & vivificando atque rectificando voluntatem, ut postea possit firmiter assentiri verbo Dei & confidere sicut oportet.

XXVI. Cum, itaque, sicuti audivimus, homo nondum renatus tantum ex sese præstare non valeat, ut seipsum in peccatis spiritualiter mortuum illuminet & vivificet,

cet, idè rectè omninò docuit & scripsit B. Lutherus; vires
hominis in sui conversione merè se passivè habere & esse tantum
subjectum, in quod Spiritus S. per verbum & Sacramenta agat.
De fieri enim, inquit alibi, loquitur Iohannes cap. 1. 12. & nos
filios Dei fieri pronunciat gratià divinitus nobis datà & concessà,
non facultate liberi arbitrii nobis insitâ. Et in cap. 11. Genes. in
his, inquit, quæ ad Deum pertinent, & quæ supra vires humanas
sunt, homo nullum habet liberum arbitrium, sed ferè est, ut lutum
in manu artificis, juxta illud Prophetæ, Ecce sicut lutum in manu
figuli, ita & domus Israel in manu mea Jerem. xlii. 6.

XXVII. Sed accedamus ad probandum quintum mem-
brum, nempe intellectum hominis non posse aliquid boni ex se tan-
quam ex sese excogitare. Audiamus hic iterum Paulum de se &
omnibus aliis mortalibus loquentem II Cor. iiii, 5; Non
sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, à. d. ἡ
ἰκανοὶς ἡμῶν ἐκ τῶν θεῶν, sed quod sufficientes sumus, id ex Deo est.
Theophylactus supra hunc locum commentatus, dicit. Nihil
nostrum est, sed fiducia nostra, id est, gloriatio nostra per Christum
est ad Deum. Christus enim est causa, cur in Deo gloriemur, nihilq;
planè nostrum est, ne minimum quidem, hoc enim indicat, cum ait,
non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis veluti ex nobis ipsis.
Ab his non abit Fulgentius, cujus lib. de incarnatione cap.
xiii. hæc sunt verba. Peccans ille, qui sine peccandi necessitate
creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, eti-
am cogitandi, quæ ad Deum pertinent, facultatem protinus amisit,
& ditione peccati ita oppressus, ut nullatenus aliquod boni initium
habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset. Hæc illi,
qui in eo prorsus conveniunt, quod homini post lapsum
non amplius residua sit facultas aliqua boni alicujus saluta-
ris & spiritualis ex sese tanquam ex sese inveniendi, sed
quod tale quid prorsus ignoret imò sæpissimè pro stulti-
t iâ reputet. Huc quoque facere videntur communissima
illa

G

illa effatâ, quorum prius *Augustino* tribuitur, hoc; velle natura est, male velle corruptionis, bene autem velle conversionis & gratia: Et nulli sunt motus hominum interiores nisi per speciale auxilium gratia divina excitentur. Concludimus ergo nullum irrogenitorum ex sese & naturalibus suis viribus aliquid boni tanquam ex se cogitare aut eorum quicquam invenire posse quæ ad gratiam vel salutem æternam obtinendam faciant, sed unicè hoc proficisci à Deo Opt. Max; qui ex immensâ suâ bonitate hominem per verbum suum ei que perpetuò additam Spiritus S. gratiam, animum intus moventem, illuminet, vivificetq; & sic regeneret renovetque, donec illa hîc inchoata novitas in vitâ æterna consûmetur.

XXIIX. Cognitâ jam ac declaratâ naturâ & potentiâ intellectus sibi relictî, pronum nobis erit judicare de voluntate hominis depravatâ. Cum enim voluntas sit potentia cæca, quæ sine manuductione sui consiliarii vix quicquam appetere aut desiderare potest, intellectus autem ignoret ea, quæ ad vitæ æternæ possessionem impetrandam faciunt, sine dubio nec voluntas apta seu habilis erit ad ea se disponere atque præparare. Nos itaque uti cœpimus ita pergimus colligendo hunc in modum. *Cujus voluntas*
1. prava est omnibus diebus 2. à Deo aversa 3. dura & lapidea
4. in peccatorum servitutem adducta, ille ad gratiam divinam sese præparare, illam sibi in Evangelio oblatam & unicè in sufficientissimo merito Salvatoris Christi Jesu fundatam fiducialiter apprehendere non potest. Quæ propositio sua luce radiat. Atqui voluntas hominis irrogeniti est talis &c. E. Minorem quoad singula membra statim probamus.

XXIX. 1. *Voluntas hominis nondum renati prava est omnibus diebus* Genes. v. *omne figmentum cordis humani* dicit scriptura, *tantummodo malum est omnibus diebus.* Jerem. xvii, 9. *describitur voluntas, quod sit prava & perversa,* Osee xiii,

xiii,

xiii, 6. dicitur *obstinata*; Notamus autem hinc ex aliis. 1. Vocabulum hebraicum יצר in loco Genes. v. significare primam cogitationum malarum conceptionem seu formationem, descendens à radice יצר, quod significat, finxit, formavit, ductâ metaphora à figulo, ut sensus sit, cor humanum velut officinam concupiscentiæ vanissimas & turpissimas cogitationes fabricare, motus exorbitantes & à rectâ ratione aversos ciere 2. haud frustra esse adjectam particulâ universalem, quod *omne figmentum malum & quod tantummodo & omni tempore malum* sit, quo ipso indigitur, cor hominis ab ipsâ statim infantia ad non nisi malum propendere, quod Theologi vocant ad malum in communi, sive in genere & confuse, ut scilicet vel hoc vel illud vel aliud denique, semper autem aliquod malum, qualecunq; tandem fuerit, volutet secum & machinetur.

XXX. II. *Est à Deo averſa* Rom. viii, 7. *Intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum, quæ averſio à parte nostrâ importat rebellionem & contumaciam erga Deum & inclinationem ad malum, sic David Ps. xiv huic rei testimonium affert, ubi ad hunc locum alludens introducit Deum omnibus mundi temporibus de corruptione nostrâ ita loquentem, Deus, ait, prospexit de caelo super filios hominum, ut videat, qui sit intelligens & requirens Deum, id est, num ullus adhuc mortalium sit, qui Deum ejusque voluntatem rectè agnoscat eique ex corde serviat, verum omnes declinaverunt & recesserunt. III. *Dura & lapidea, Dabo vobis inquit Dominus Ierem. xxxvi, 26. cor novum & spiritum novum & auferam cor lapideum è carne vestrà & dabo vobis cor carneum.* Vbi monemus, nos hinc cor durum & lapideum non sumere pro ipsâ cordis substantiâ ut Flacianistæ*

nistæ volunt, sed pro vitiosâ carnis qualitate cor hominis labe peccati ita inficiente, ut propter innatam cœcitatem nec spiritualia bona cognoscere, nec in iis firmiter recumbere & acquiescere possit. Tandem *iv in peccatorum servitutem est adducta*, vide si libet caput *vii*, ad Romanos per totum. Atque hæc pro ratione instituti nostri de viribus humanis ex immoto verbo Dei simplici & planâ ratione dicta sufficiant.

XXXI. Propositis ita nunc horrendis illis ignorantia tenebris quas Protoplasti per lapsum sibi contraxerunt & in nos tanquam luem congenitam derivarunt, ratio quidem ordinis efflagitaret, ut & de medelâ, quâ huic malo succurrere possimus, pauca differeremus, & significarem, quomodo talis homo nondum renatus ad Deum converti posset, verum cum hæc de re alibi fufius actum sit nos hoc labore superledemus. Vnum superest, nempe ut extremam nostram miseriam cognoscentes, cristas demittamus, Deumque clementissimum humiliter rogemus, ut nostrum misereri, peccata benignè remittere & vires ad firmiter credendum, verè & sincere colendum & diligendum sufficientes pro immensâ suâ misericordiâ suppeditare velit, quo tandem ita illuminati & vivificati in consummatissimam illam gloriæ beatitudinem nobis à Christo paratam ingredi valeamus; id quod nobis omnibus ille largiatur per & propter unigeniti Filij sui superabundantissimum meritum, Amen.

F I N I S.

99 A 6986

ULB Halle 3
002 826 542




R


St

VJ 17

Rehov







DISPUTATIO THEOLOGICA
De quaestione illâ
**AN HOMO NON
DVM RENATVS IN ACTIO-
NIBVS MERE SPIRITVALIBVS
POLLEAT LIBERO AR-
BITRIO?**

Q V A M
D. O. M. A.

PRÆSIDE
GERHARDO TITIO
S. THEOL. DOCT. ET PROF.
ORDINARIO

IN ACADEMIA IVLIA,


Ad diem Aprilis

Publico examini submittet

ALBERTVS PETRI

Susato - VVestphalus

Auctor & Resp.



HELMESTADI

Excudit Henningus Mullerus, Acad. Typog.

C I O I O C L I I .

